

Beátus vir, cuius est auxiliúm abs te, *
ascensiónes in corde suo dispósuit.

Transeúntes per vallem sitiéntem
in fontem ponent eam, *
étenim benedictiónibus véstiet eam
plúvia matutína.

(Repetitur antiphona)

Ibunt de virtúte in virtútem, *
vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratióne meam; *
áuribus pércipe, Deus Iacob.

(Repetitur antiphona)

Protéctor noster áspice, Deus, *
et réspice in fáciem christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis
super mília, †
elégi ad limen esse in domo Dei mei *
magis quam habitáre
in tabernáculis peccatórum.

(Repetitur antiphona)

Quia sol et scutum est Dóminus Deus, †
grátiam et glóriam dabit Dóminus; *
non privábit bonis eos,
qui ámbulant in innocéntia.

Dómine virtútum, *
beátus homo, qui sperat in te.

(Repetitur antiphona)

Non dicitur Glória Patri. Psalmus tamen abrumpitur et repetitur antiphona, cum omnes Ordinati dalmatica sunt induti.

210. Ordinati, vestibus diaconalibus induti, accedunt ad Episcopum, qui librum Evangeliorum unicuique ante se genuflexo, in manus tradit dicens:

Accipe Evangelium Christi,
cuius præco efféctus es;
et vide, ut quod légeris credas,
quod credíderis dóceas,
quod docúeris imitéris.


211. Demum Episcopus singulis Ordinatis dat osculum dicens:
Pax tibi.

Ordinatus respondet:


Et cum spíritu tuo.

Similiter faciunt omnes vel saltem nonnulli diaconi præsentés.


212. Interim cani potest antiphona:



[I] Si quis mi-hi mi-nistrá- ve-rit, * hono- ri- fi-cá-bit e- um Pa-



ter me-us, qui est in cæ-lis, di-cit Dóminus. T. P. Alle- lú-



ia. E u o u a e.

cum Psalmo 145, vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ.